

causis atque effectibus illustratum; quo magis eluceat vis naturæ in varietatibus plantarum formandis; neve ea, quæ speciei sint attributa, ad varietatem temere referantur.

§. 32.

Momenta, quæ ad vegetationem excitandam, sustentandamve maxime sunt necessaria, in duas præcipue dilabuntur partes, quarum altera temperiem spectat coeli; altera solum, in quo nascuntur plantæ. In his temperies coeli tamquam genitor omnium, quidquid est viventium, considerari potest, cujus opera omnis vita restauratur, atque regeneratur. — Altera, terra mater omnium, cujus in gremio omnia, quidquid est vegetabilium, nascuntur; cujus etiam salutifera nutritione omnis vita alitur. Harum rerum concursu vel unione cuncta, quæ sunt vitæ organicæ phænomena, existunt, agunt, atque operantur. Vitam organicam loquor.

Quum autem facultates virium, in superficie terrarum agentium, ejusmodi sint, ut neque pariter ubique agant, neque omni tempore pari ratione: sequitur, quoniam causa semper respondere debet effectui, ut diversa oriatur naturæ species, alia atque alia terrarum parte, prout diversa